

33 ————— 27  
D. O. M. D.  
DISSERTATIO ACADEMICA,  
PARADOXAM OPINIONEM

dupl  
314  
12

DE  
**INDIFFERENTISMO**  
**RELIGIONUM**  
EXAMINATURA,

---

Cujus PARTEM PRIOREM  
*Consensu Ampliff. SENAT. Philos. in Reg. Acad. Aboëns.*

PRÆSIDE

MAG. JOHANN E  
BILMARK,

HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORDIN.

*Publico Examini modeste submittit*

GEORGIUS WINTER,

*V. D. M. Wiburgensis.*

IN AUDITORIO MAJORI D. XXII. APRILIS ANNI MDCCLXIX,

*Horis Ante Meridiem Consuetis.*

---

ABOÆ Typis JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

*VIRO Admodum Reverendo atque Præclarissimo,*  
**D<sup>N</sup>. MAG. P E T R O**  
**BONSDORFF,**

S. S. Theologiæ LECTORI in Gymnasio Borgoënsi  
Gravissimo,

Consistorii Ibidem ASSESSORI

Dignissimo,

PATRONO OPTIMO.



**P**lura sunt, quam quæ vel ingenio adsequi vel condi-  
gnis exprimere queam verbis, quæ tibi, Admodum  
Reverende *VIR*, ob innumera, quæ omni tempore in me  
contulisti beneficia longe maxima, jam jam debui, & ad-  
huc me debere ingenue profiteor. Tuis enim auspiciis  
me & incepisse studia, & progressus quoscunque in tra-  
mite litterarum fecisse, venerabunda semper agnoscam men-  
te. Cum autem ego omnino nesciam, qua ratione pieta-  
tem atque venerationem, qua Te cernuus prosequor, sum-  
mam Tibi tester; humillimus etjam atque etjam obtestor,  
digneris, sereno, quo semper soles, vultu hanc meam qualem-  
cunque adspicere opellam, Nomini Tuo affectu Tibi devo-  
tissimo dicatam atque consecratam. Quod me impetra-  
turum, favor TUUS plane singularis dubitare non per-  
mittit. Quod reliquum est, animitus opto voveoque, ve-  
lit benignissimus DEUS, Te Tuosque sospites omnique fe-  
licitatis genere florentes in annos bene multos clementer  
conservare. Ero quoad vixero

Admodum Reverendî NOMINIS TUI

Cultor humillimus

GEORGIUS WINTER



*VIRO Plurimum Reverendo atque Præclarissimo,*  
**Dn. Mag. NICOLAO URSINO,**

PASTORI Ecclesiæ in Ithis Meritissimo.

*VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo,*  
**Dn. JACOBO JÖELI PETREIO,**

Vice PASTORI atque ARCHIDIACONO Templi Cathedralis Borgoënsis Accuratissimo,

FAUTORIBUS Propensissimis.

**S**i, Fautores Optimi, hoc quaecunque Specimen Academicum, Vobis omni observantia oblatum, pro summis favoris Vestri in me documentis, quavis occasione præstitis & collatis, eadem, qua offertur, mente respiciatis, Vos solito Vestro favori cumulum addidisse fatebor, mihiq; impensè gratulabor, quod, volente ita Providentia Divina, commodam nactus sim occasionem, gratum, quem Vobis debeo, animum publice declarandi. Ego etjam ex intimo opto voveoque pectore, dignetur supremum Numen omni Vos beare prosperitate, quo habeat Ecclesia Ejus emolumentum exoptatissimum, omnes Vestri fulcrum & ornamentum clarissimum, nec non ego Fautores propensissimos. Usque ad cineres permanfurus

Plurimum Reverendorum NOMINUM VESTRORUM

*Cultor observantissimus,*  
GEORGIUS WINTER.

*VIRO* plurimum Reverendo atque Præclarissimo,  
**D:n ANDRÆ WINTER,**  
*PASTORI* Ecclesiarum, quæ DEO in Kides & Oravilax  
colliguntur, longe vigilantissimo,  
**PARENTI INDULGENTISSIMO.**

**Q**uando, *PARENS INDULGENTISSIME*, mecum perpendo;  
qua gratiarum actione atque veneratione coli debeant & so-  
leant omnes, a quibus beneficia quæcunque, præsertim quæ  
cum paternis contendere possunt, conferuntur; ipsa dicendorum  
copia ad tristem verborum inopiam redigor. Quod itaque ple-  
na exsequi non possim oratione, brevibus tantum stricturis  
adumbrare conabor. Tibi igitur, *PARENS INDULGENTIS-*  
*SIME*, & lumen vitæ & ingenii culturam, & cetera vitæ  
commode præsidia, quibus incolumis adhuc conservor, post  
summum DEum, accepta refero. Quid? Quod nisus & ardor il-  
le, qui mentem tuam in tuorum cura occupavit, eo non ra-  
ro processerit, ut sane me fugiat, an ulla unquam Parentum  
opera Tuæ respondeat? Hæc omnia cum video, nec non quæ &  
quanta Tibi debeam, neque spes ulla affulgeat, me debiti par-  
tem unquam fore exsoluturum, gratus tamen & tam Benigno  
Patre dignus haberi cupiam filius, noli, *PATEROPTIME*, sub-  
misse precor, mirari, si Tibi in documentum affectus tenerri-  
mi, meliora dare nescientis, pariter ac in tesseram animi nun-  
quam pro salute tua integerrima omnibusque bonis calitus con-  
decoranda DEum obsecrare cessantis, primum hoc ingenii ti-  
rocinium dederim atque consecraverim. Faxit Idem cæli &  
terræ Gubernator, ut tot TE annos superstitem veneremur,  
quot Liberorum Tuorum candidis respondeant votis. Præterea  
ad extremum usque spiritum permanebo

Suavissimi **NOMINIS PATERNI**

Cultor & Filius obedientissimus  
**GEORGIUS WINTER.**





§. I.

**R**egulam Lesbiam ejus fuisse constitutionis perhibuerunt Veteres, ut corporibus obviis, cujus demum cunque essent figuræ, applicari potuerit. Commodam hanc aliquando fuisse non admodum diffitemur, sicut maxime incommoda quin & inepta erat in rectitudine aut curvatura corporum indaganda, quippe quæ ob nimiam flexibilitatem singulis æqualiter accommodari potuerit. Mittamus has Veterum narrationes, ex quibus vix alium capere possumus fructum, quam quod in memoriam nobis revoce-  
mus, dari homines, qui quamvis rectam a DEO acceperint rationem, hanc tamen, ut vanam modo aucupentur gloriam, adeo torqueant, ut ipsa etjam Regula Lesbia evadat flexibilior atque inconstantior. Omnes quidem laudamus temporum nostrorum felicitatem, & non sine festiva quadam ambitione nobis gratulamur, quod in eam servati simus ætatem, qua rerum Divinarum atque humanarum scientia numeros omnes impleverit. Interim tamen dum per campum Philosophicum exspatiamur, inter opimas messes hinc inde densa conspiciamus zizania, quæ in illarum præjudicium succrescere student, adeo ut cum Poëta ingemiscere cogamur: *Grandia sæpe quibus mandavimus bordea sulcis - - Infelix lolium & steriles dominantur avenæ.* Multæ enim, quæ alto supercilio proponuntur, doctrinæ ad evertendam potius, quam ad amplificandam veram sapientiam, sunt comparatæ. Delere enim ex hominum animis pietatem, res Divinas scurrili dicacitate subsannare, veritates evidentissimas argue e explodere, & contra ea pestilentissimos quosvis errores immerito fucō incrustare, hic vero Eru-



ditorum complurium labor est, hoc illi agunt, hoc molliuntur, in hoc somnum, in hoc vigilias ponunt. Quocirca quis facile crederet, nos in illa rediisse tempora, de quibus VARRO dicere solitus erat, neminem ægrotum quidquam somniare tam nefandum, quod non aliquis etjam Philosophus dicat. Temere enim relicto ductu tam sanæ rationis, quam ipsius verbi Divini, ex admiranda DEi *Φιλανθρωπία* nobis in normam credendorum & agendorum falli nesciam revelati, in id potissimum ingenii sui aciem conferunt, ut paradoxas quasvis opiniones, obscuraque Fanaticorum commenta magno argumentorum firmate propugnent, controversias vero de rebus maximi etjam momenti ad logomachias vanasque Doctorum, mysteria religionis sancte tractantium, fraudes referant. Immo cum vera religio maleferitatis semper fudes in oculis fuerit, eandem quoque quibusvis sophismatum arietibus impugnare non dubitant, argute, ut sibi videntur, docentes, neminem obligari ad religionem in Scriptura Sacra præscriptam, sed sufficere modo quis aliquam profiteatur, & insuper probam atque honestam degat vitam. Ita scilicet tulit ingenii humani levitas, ut nostro non solum ævo, sed remotissimis abhinc temporibus non tam de eo disceptatum sit, quamnam religio præ reliquis se sanctioribus commendaret præceptis: sed transgressis verecundiæ limitibus non tantum intra præcordia foverunt, sed & quod doleas in circulis publicis docuerunt: Quemlibet in qualibet religione fallari posse, & sicut non personarum, ita nec cultus rationem a DEo haberi. Quæ quum ita sint, neminem nobis dicam scripturum existimamus, si sententiæ, tanti & vix curandi mali participis, quin etjam genericis, præcipuas quasdam absurditates pro modulo ingenii ostendere nobis sumserimus, non obstante Magnorum

Virorum



Virorum in hac parte labore ut specialiori, ita etiam solidiori. Convenire enim cuius Christiano, imprimis vero illi, qui sacro ordini sit adscriptus, arbitramur, quæ ignorantia plantavit, superstitio rigavit, & quibus cœcum contradicendi studium seu mentiendi libido incrementum dedit, opportune refellere, ne in detrimentum Sacro-Sanctæ Religionis increſcant.

§. II.

Per Indifferentiſmum Religionum intelligimus hypotheſin, qua ſtatuitur æquipollentia Religionum quavumvis, adeo ut perinde ſit, quam DEum colendi rationem complectaris. Hunc Indifferentiſmum duplicis eſſe generis ſtatuerent Eruditi, alium ſcilicet *generalem*, alium vero *ſpecialem*. Ille ad omnes ſeſe Religiones extendit, ad Chriſtianam, Iudaicam, Muhamedanam & Ethnicam, quæ omnes, contentione facta, æquipollentes inter ſe habentur, ut in ſalutis negotio nullum omnino ſit diſcrimen, cui ſis addictus. Hi igitur ſibi fingunt curriculum vitæ humanæ tamquam circumulum, cujus ſinguli radii ad centrum, votorum noſtrorum ſcopum, æqualiter concurrunt, quum tamen ſi rite ratiocinari voluiſſent, intra eundem circumulum ſibi concipere debuiffent innumeras curvas, quarum neutra centrum attingit, ſed pro diverſa ejuſdem indole magis minusve ab eo diſtat. Ne autem anxia de religionis præſtantia diſquiſitione ſibi moleſtias creent, & dormientem conſcientiam forte expergefacciant, docent, eam religionem eſſe retinendam, quam cives ſui profitentur. Huc pertinent ea, quæ ſcribere non dubitavit THEODORUS LUDOVICUS LAU in *Meditationibus Philoſophicis de DEo, Mundo & Homine: Colo DEum talem, qualem Princeps vel Republica jubet. Si Turca, Alcoranum: ſi Judeus*



*Judeus, Vetus Testamentum; si Christianus, Novum Testa-  
mentum veneror pro Religionis mee lege & norma. Papa  
si imperans, DEum credo transsubstantiatum: Si Lutherus,  
DEus mihi in, cum & sub pane circumvallatus: si Cal-  
vinus, signum pro DEo fumo, sicque cujus Regio, in  
qua vivo, ejus me regit opinio &c. &c. A quo non mul-  
tum abludit VOLTAIRE, qui sicut omne licentiæ genus  
in scribendo sibi permisit; ita non est mirandum, si ad  
religionum indifferentismum perquam propendeat. Ita  
igitur mentem suam declarat: *Que je me plais à voir  
Dieu peint comme un bon Pere de famille, qui choisit tous  
ses enfans, blancs, noirs, jaunes, avec nez long ou plat,  
avec Turban ou Chapeau, avec prepuce ou sans prepuce:  
Vous autres bons Papistes, pour l'ordinaire, Vous brulez  
les Gens en cette vie & en l'autre; & voilà en quoi  
notre Religion passe la votre, nous croyons le meme Dieu,  
mais nous ne brulons personne.* Alii autem, qui minus  
perfrictæ frontis haberi volunt, quamvis in eodem ferme  
luto hæreant, durum nimis putant statuere, citra cogni-  
tionem Christi salvatum iri homines, quamobrem intra  
Christianismum viam salutis quærendam esse arbitran-  
tur. Heic vero præter rationem & ultra Scripturam Sa-  
cram sapiunt, dum statuunt, nihil ad rhombum facere,  
quid quis de Christo credat & statuatur, modo enim pie  
vivat, fores regni cælorum ipsi patebunt; adeo ut vivide  
admodum eos depingat Celeb. CHEMNITIUS in Exam.  
Concil. Trident. dicens: *fabricantur hi novam Ecclesiam, aliud  
cælum & peculiarem beatitudinem, ubi membra, cives &  
complices sint, quicumque ignari fuerint verbi DEI, si  
tantum juxta rationem vixerint.* Atque hac opinione si-  
bi admodum ablandiuntur Latitudinarii, ita nuncupati,  
quod latam faciant viam, quam valde angustam dicti-  
tavit mundi SALVATOR. Quantum ad hoc monstrum pro-*



movendum contulerunt omnes dubitandi Magistri, qui nihil aliud verum esse admiserunt, nisi quod præcon-ceptis ipsorum opinionibus, imaginationi potius quam rationi convenientibus, congruat, quisque videt. Hi enim cum veritatem Democriti puteo demersam esse blaterent, neque in rebus fidei quidquam certi admittendum censent, quoniam DEUS, uti crepant, regulas indubias non designavit, juxta quas, quamam Religio ceteris præferenda sit, dijudicari potest. Eminent in his vel maxime acutissimus BAELIUS, qui dum impietatis strenuum agit Promachum, simul Religionis usum indifferentem statuit. Immo si verbis aliquantum, re tamen ipsa a modo memoratis parum recedunt Quackeri, Zinzendorffiani & tota Fanaticorum phalanx. Quo circa egregie monet Christian. Guilh. WALCHIUS in Compendio Hist. Eccles. Recentisf. Cap. V. Lib. VI. §. I. *Ut ea, quæ de Indifferentismo dicere decrevimus rectius capiantur, moneri oportet lectores, partim omnes Atheos, Deistas & Naturalistas necessitate quadam cogi indifferentistica principia complecti, partim neque illos ab omni erroris suspitione liberari posse, qui dum intempestive pacis inter varias religionis Christiane partes dissentientes instaurandæ consilia ingressi sunt, levioris immo nullius momenti esse, quæ animos separent controversias, sibi persuaserunt, partim denique maximam partem Fanaticorum simili ratione eadem falsa opinione captam esse, ceu patet unico Heributianorum exemplo.* A Latitudinariis nomine magis, quam re ipsa discrepare Syncretistas, quorum ingentem catalogum exhibuit WALCHIUS, vel per se patet (\*). Enimvero non tam horum, quam supra commemoratorum in concedenda spe salutis æternæ nimium quantum liberalium inam stoliditatem detegere nunc conabimur.

(\*) Scilicet Syncretistæ concedunt, dari quidem dogmata,



mata, quæ DEo displiceant, simul tamen statuunt, diversas in Religione opiniones non attingere fundamentum salutis, eamque proinde obtineri posse in quacunque Religione. Hic vero Syncretismus vel est *Universalis* omnium Religionum, vel *Particularis* Christianarum tantum. Ex quibus in medium allatis facile patet, omnem Syncretismum in se esse etjam Indifferentismum, sed quod hic latius se extendat, quam ille.

§. III.

Originem lolii Indifferentistici a nimia *Φιλαια*, quam ejus disseminatores sibi permittunt, esse repetendam facile constat, qui fons vero ne omnibus appareat, eundem salutis quadam & tranquillitatis publicæ specie obumbrare solent. Postquam enim vires ingenii experti facultatem de qualibet ferme re in utramque partem disserendi, ingratis & ratione & revelatione sibi vindicarunt, infra suam dignitatem ponunt, communia, quantumvis cordata, dogmata vel explicare vel defendere, sed potius omnem in eo navant operam, quomodo novis placitis, & quidem maxime paradoxis opinionem eruditionis sibi comparent. Quum vero ipsorum moliminibus præcipue obsit Revelatio, quæ recta via nec per molestos anfractus homines ad salutem deducit, igitur ad rationis liberæ amussim & principia naturalia veritates Scripturæ Sacræ examinare, hujusque tenuem simplicitatem, illius vero magnificos & uberes fontes iterum iterumque jactitare solent. Hi autem, si serio res suas agere voluissent, nec prætextu rationis, ductu autem affectuum, se in errorum diverticula seduci passi fuissent, facile & abusim argutarum & usum sanæ rationis etjam in Theologia animadvertissent. *Premisit DEus naturam Magistræ,*



*fram*, inquit TERTULLIANUS, *submissurus Prophetiam, quo facilius credas Prophetiæ discipulus Naturæ.* A quo nec dissentit Megalander LUTHERUS: *Quicquid recte rationi evidenter adversatur, certum est, multo magis DEo adversari.* Quam ob rem ne contra negantes principia disputemus, ex principiis rationis ostendemus, quam male cohæreat Systema Indifferentistarum.

§. IV.

*DEus constanti atque perpetuo actu vult omne bonum & averfatur omne malum.* Quum enim DEus omnes posibles perfectiones habeat, successive in alio alioque statu esse nequit, sed omnia, quæ habere potest prædicata, habet simul & uno actu. Enimvero si DEus quid vellet, quod antea nondum voluerat, vel si contingeret, ut in posterum vellet, quod prius non voluit, sequeretur, quod DEus successive esset in alio alioque statu, quod tamen propter infinitas Ejus perfectiones est impossibile. Quicquid ergo DEus vult, id constanti ac perpetuo vult actu. Homines quidem successive aliquid vel volunt vel averfantur, quod ex successiva & minus distincta boni malive cognitione, intervenientibus præsertim, quod plerumque fieri solet, imaginationis & affectuum blandis lenociniis, provenit. Sed quum DEUS adæquatissime & distinctissime se ipsum & res omnes a se diversas cognoscat, simul quoque eadem intellectus sui perfectione perspicit, quam quæque res cum infinitis suis perfectionibus habeat relationem, ideo quoque cujusvis boni & mali adæquatissimas & perfectissimas possidet ideas. Et in hac cognitione consistit motivum voluntatis & averfationis Divinæ.

§. V.

*Voluntas Divina circa diversos hominum actus Morales sese indifferenter non habet.* DEUS enim perfectissime omnia cognoscit, & inter actus intellectus atque voluntatis Divinae summa est harmonia & consensus summus, DEUS enim est ens summe perfectum & harmonicum. Ergo quidquid intellectus Divinus bonum judicat, id quoque ut bonum vult sanctissima ejus voluntas, & quodcumque ab intellectu judicatur malum, idem quoque ut tale averfatur eadem voluntas. Ponamus vero aliquantisper, quod voluntas Divina circa diversos hominum actus morales sese indifferenter habeat, aut igitur DEUS distinctissime sibi non repræsentat, utrum bonitas vel pravitas in actibus propositis præponderet, aut etiam res hominum adeo parum curat, ut ipsos suo arbitrio permittat, quorum utrumque cogitasse, ne dicam statuisse, est maxime absurdum; præsertim quum successio & incuria passio, perfectionibus Divinis e diametro opposita, in DEUM sanctissimum ita caderent. Ergo voluntas Divina circa diversos hominum actus Morales sese indifferenter non habet.

§. VI.

*Homines actiones suas liberas non pro suo arbitrio, sed secundum DEi voluntatem instituere obligati sunt.* Nemini enim, ratione sua temere non abutenti, ignotum esse potest, quod DEUS non tantum totum hocce universum omnesque res in eo obvias ex statu possibilitatis in statum actualitatis vi omnipotentia suæ prodire jusserit, sed etiam quod res omnes cætas clementer conservet, & ad felicitatem hominum, nisi pravitate  
actionum



actionum se gratia ipsius indignos reddiderint, efficaciter concurrat, nihil ipsa per se futura, nisi DEus ipsis & vires & successum largiatur. Ergo quum omnino opus, qua tale, est sui Artificis munus, creaturae quoque omnes tam intuitu creationis quam conservationis a DEo penitus dependent. Quare quum Idem Benignissimum Numen homini & rationem, qua voluntatem Divinam de agendis & fugiendis cognoscere potest, concesserit, & voluntatem indulserit, qua ad bonum cognitum se sponte determinare valet; has autem facultates non frustra mortalibus dederit, sed ut eisdem ad sensum dependentiae a Supremo Moderatore utantur: Ergo sicut DEo plenum competit jus de rebus creatis disponendi, & eas illis praescribendi actionum regulas, quae sanctitati ceterisque ejus admirandis perfectionibus, quibus ne quidem per momentum temporis renuntiare potest, convenient; ita quum jus & obligatio sint correlata, homines etiam non ex suo arbitrio, sed ad voluntatem Divinam actiones suas componere debent. Qui igitur se solvere gestit obligatione ea agendi potius, quae voluntati DEI ejusque perfectionibus convenient, quam quae imaginationis suae phantasiis congruant, solvat quoque se, si modo fieri potest, dependentia sua a DEo in existendo, faciatque ut vires agendi non ipsi referat acceptas; solvat quoque se indigentia rerum rerum creatarum, quarum substantia & foecunda ubertas nec non usus fructusque supremo DEI dominio subsunt. Si fecerit, sui juris esto; sin vero ridiculum sit, talia moliri, haud agre ferat, se vinculo quodam morali teneri, omnia ipsi soli consecrare, cujus sunt omnia, adeoque ad ejus nutum actiones suas componere.

§. VII.

Hinc igitur consequitur, quod Indifferentismus Religionum non possit non DEo quam maxime displicere. Quum enim Religio duabus constet partibus, vera scilicet DEI cognitione & cultu Supremo Numini debito, quum etiam cognitio ejusdem rei, quæ vera haberi debet, non nisi unica sit, nec cultus, qui ad tenorem cognitionis erit instituendus, multiplex & arbitrarius, sed uniformis ex sua natura est. Ergo tam Indifferentismus Dogmaticus, quo statuitur salutem obtineri posse, qualemcunque de DEo habeamus conceptum, quam indifferentismus Practicus, qui arbitrariam probitatis actionum normam proponit, æque infirmo stant talo. Id quod evidentius adhuc constat, si in memoriam nobis revoceamus, quod DEus constanti & perpetuo actu velit omne bonum & aversetur omne malum, adeoque ad diversos quin & oppositos actus sese æqualiter habere nequeat. Hoc enim admisso, sequeretur, non solum mutationes, sed etiam tales in DEum cadere, quæ levitate ingenii humani sunt frequentiores; quam opinionem infinito & perfectissimo DEo esse indignissimam, quisque animadvertit.

Quæ adhuc explicanda supersunt alii occasione reservamus, filum tractationis propediem, si DEo visum fuerit, redintegraturi.

§. VIII.

